

AK.241



AD


# CAROLI GEHLERI MEMORIAM

DIE X. DEC. MDCCCLXXXIII.

IN GYMNASIO RECOLENDAM

INVITAT

JOANNES FRIDERICVS NEVMANNVS  
GYMN. CONR.



Prolusio habet alteram partem & postremam  
narrationis

de Jo. Avg. ERNESTIO ejusque meritis, cum in humanitatis litteras,  
tum in earum in scholis disciplinam.

GORLICII, EX OFFICINA FICKELSCHERERIANA.

K.240



18.1.8.5

**Q**uae breviter universeque diximus de elegantioris doctrina fatis inde a disciplinæ Philippicæ & Camerarianæ interitu usque ad illius in scholas-reditum per Gesnerum atque Ernestum, ea si quis singulatim accurateque voluerit cogitare, facile reperiet, tria potissimum fuisse scholarum incommoda, quæ bonarum litterarum studium vel retardarent, vel earum doctrinam redderent jejunam & sterilem: Ex quibus primum erat in ipsorum hominum de græcis latinisque litteris opinione & judicio, alterum in disciplinæ ratione & forma, tertium in apparatu librorum parum idoneo, atque in liberalioris doctrinæ exemplorum inopia. In quibus quidem removendis quoniam Ernestii opera imprimis versata est, ejusque adeo merita in humanitatis litteras recte censentur hoc triplici rei scholastica beneficio & munere; de singulis pauca dicemus, quo facilius deinceps ex hac eorum comparatione intelligi possit, quantum hæc ætas debeat Ernestio in hoc litterarum genere.

Illa igitur superiori ætate, qui rei scholastica consulum cuperent, solebant ii quidem vehementer commendare veterum Græcorum & Romanorum libros, iisdemque quodammodo tractandis tantum non omnem absolvere in scholis doctrinam. Sed cum eo tempore jam unis illis superioribus, quas dicebant, facultatibus omnis tribueretur eruditionis laus & gloria, raraque extarent elegantioris doctrinæ exempla eaque ipsa iudicarentur magis ex aliqua vanæ polyhistorias & antiquitatis affectione, quam ex justo rerum pretio & usu; accidit paulatim, ut hac græcarum latinarumque litterarum studia his ipsis curriculi scholastici finibus coercerentur, essentque & haberentur ignobili loco vel instrumenti cuiusdam ad illam academicam eruditionem necessarii, vel supellecīlis in reliqua vita speciosæ magis, quam utilis. Eam igitur fatis exiguae utilitatis opinionem fecerū, qui tum degebant in scholis, gnaviter in has litteras incumbebant: nec ego ausim negare, hæc studia quodammodo profuisse illis temporibus, cum ad illud in academiis discendi consilium, tum ad aliquam doctrinæ laudem & opinionem, eamque ex seculi genio iudicandam. Nam qui nobis pueris existimabantur bene olim versati esse in scholis & severa lege profecisse, ii retinuerant illam qualecumque græcitatis & latinitatis notitiam, sollebantque iactare in sermone & scriptis multa veterum proverbia & sententias, recitare vel poetarum versus, vel ipsi etiam ex ingenio pangere suos & compondere. Sed cum hæc ratio paulatim postea exolevisset, ante hos quinquaginta fere annos, longeque alia exorta esset omnium rerum totiusque eruditionis forma & facies; tum facile apparuit, quam parum ei iam conveniret ista opinio de legendis græcis latinisque scriptoribus ejusque lectionis utilitate: iudicatumque est a multis, qui tum sapere existimarentur, istos scriptores aut ejici-

ejiciendos esse e scholis, aut si sint retinendi, aliud iis statuendum pretium aliquamque ex iis pretendam utilitatem.

Atque hoc illius græcitatis & latinitatis tædium augebat etiam ipsa doctrinæ forma, quatenus ea pertinebat ad scriptores interpretandos. Nam qui tum eos adolescentulæ prælegebant in scholis magistri, primum in ipso librorum delectu non fere respiciebant discipulorum ætatem & discendi progressum, securi magis auctoritatem majorum aut suum de aliquo scriptore iudicium, quam solliciti de eo, quod maxime conveniret huic ætati: ut, si quis forte præceptor adamasset Tacitum, is legendus esset discipulis per omnes annos, quibus illo uterentur magistro. Deinde hæc ipsa lectio solebat immorari admodum paucis & parvis scriptorum particulis, cum v. c. uni Terentii Andriæ, aut Cæsaris apud Suetonium vitæ, singula triennia & quadriennia impertirentur. E græcis autem, præter Hesiodi quedam, Plutarchi libellum aureum & aliquot Iso- cratis orationes, reliqua fere ignorabantur. In scriptorum interpretatione, qui tum habebantur eruditissimi scholarum magistri, ad explicandum aliquod vocabulum solebant afferre propemodum omnes linguae thesauros atque effundere, aut unius illustrandi ritus causa omnem pervenigare antiquitatem. Fuerunt etiam, iisque rerum magis curiosi, qui Cornelium Nepotem & Tacitum notis obruerent & meditationibus morabitur & politicis. Nam reliqua magistrorum turba vulgaris, neglectis rebus ipsis, hærebant in verbis misere vertendis adeoque male intellectis, in formulis dicendi undique colligendis, iisdemque in imitationibus & chriis urcunque consarcendiens. Vera scriptorum interpre- tatio grammatica & rhetorica, quæ, quid dicatur & quomodo, ostendit & hac ratione ingenia format ad veram eloquentiam, ea fere ignorabatur illis tem- poribus.

Sed, qui nos hodie illius ætatis errores facile agnoscimus & ineptias in hoc genere, cum aliis in rebus & virtutibus simus multo inferiores deterioresque patribus nostris & majoribus, diligenter nobis caveamus necesse est ab eo pe- tulantia pruritu, quo hæc cultior ætas sepe fertur ad exagitandas fugillandasque priscorum hominum misérias. Nam, si verum dicere volumus, fateamur necesse est, istius tam miserae doctrina scholastica culpam illis temporibus suisse non tam in ipsis scholarum magistris, (in quibus passim multi erant satis boni & sollertes, docti etiam pro capro illius ætatis, probi certe & religiosi) quam in inopia melioris doctrinæ apparatus h. e. bonorum librorum saniorisque doctri- nae exemplorum.

Etsi enim, ut de Lexicis primum dicam, Calepino iam obsoleto & vermis- bus blattisque relicto, extaret ante Gesnerum Fabri thesaurus a Buchnero &

Cellario auctus, tamen, cum hæc interpretandi recteque dicendi admicula non pro sint nisi iis, qui sciant iis recte uti, h. e. ad eam rationem formati; ne hac quidem parte multum proficiebatur, plurimique malebant pendere a vulgaribus vocabulariis, quam illinc auxilium petere. Commentatores autem quales tum fuerint inde ab Hartnacco usque ad Junckerum & Gortschlingium, quis est qui nesciat, cum Farnabiis etiam, Bondiis & Minelliis jure quodam tribueretur aliquid laudis? Quos tamen facile vincebat Cellarius noster, de quo supra diximus. Nam quæ illa ætate extabant iam apud exterios de hoc litterarum genere merita Anglorum, Francogallorum, Batavorum imprimis, ut Perizonii, Gronoviorum, Burmanni, Grævii nostri & Cortii, ea vel nondum satis cognita erant nostris, vel sic erant comparata, ut, rebus ipsis neglectis, unice contine rentur immodica verborum crisi & lectionis varietate iudicium expectante, vel denique ipsos scriptores onerabant tam immensa varia eruditio nis congerie (\*), ut iudicio opus esset ad deligendum acuto & diuturno harum rerum usu subacto.

Præterea sic semper accidisse videmus, etiam in aliis artibus & litteris, iisque instrumentorum subsidorumque farragine non plane destituti, ut diu hærent in primordiis, incertæque vagarentur potius quam progrederentur, donec exitisset magnum aliquod ingenium, quod viam muniret & monstraret, &, signo sublato, exemplum ceteris preiret: Veluti in musicis, quorum ars ante Matthesonium & Telemannum vix habuit quenquam harmoniæ artificem satis probabilem, postea mire exculta fuit habuitque suos Bachios, Hasfios, Graunios, altoisque in suo genere claros & principes. Eandem etiam fortunam experte sunt humanitatis litteræ earumque in scholis tradendarum ratio & forma liberalior. Cujus quidem et si iam ante Gesnerum, vel prima ejus ætate, extaret in Francogallia exemplum haud spernendum in Caroli Rollini præceptis de iuvenili institutione (manière d'enseigner & d'étudier les belles lettres;) eo tamen non prius usi sunt nostri (\*\*), quam cum meliora jam edocti essent: ut illis duumviris nostratis omnis restituenda elegantioris doctrinæ scholastica laus relinquitur.

Sed quoniam de unius Ernestii meritis in hoc litterarum genus omnis hæc oratio nobis instituta est; quæ dicenda restant, ea jam hoc triplici meritorum genere ita comprehendemus, ut singula quæque referantur ad illa, quæ diximus,

(\*) E. g. in editionibus cum notis variorum.

(\*\*) ROLLINVM tamen, et si hominem nunquam vidisset, in ejus scriptis cognitum mire adamat eo tempore & præceporem coluit FRIDERICVS MAGNVS, cum juvenili esset ætate. Quem amorem etiam testatus est litteris ad eum datis multis, quæ ante aliquot annos fuerunt editæ una cum Rollini ad Regem litteris.

prio-

priorum temporum incommoda scholastica. Is igitur primum restituit verum rectumque sensum de humanitatis litteris earumque utilitate, & demonstravit, quid potissimum discendum sit e scriptoribus græcis & latinis, deinde, quomo-  
do id fieri possit, qua via & ratione, ostendit doctrinæ exemplo & scriptis, & denique præsidii monumentisque parandis efficit, ne hæc liberalior doctrina unquam posthac proflus interire possit.

Illam igitur superioris etatis opinionem humilem abjectamque de humanitatis litteris & studiis puerili tantum etati destinatis, & ad stilum, nescio quem, discendum, aut ad antiquorum rituum notitiam acquirendam aliaque similia comparatis, Ernestius primum aggressus est anno hujus seculi sexto & trigesimo, cum Gesnerus jam abiisset Gottingam ante aliquot annos: nec eam opinionem infirmavit tantum sed plane etiam sustulit in illa nobili & laudatissima epistola ad Stiglicium, primæ operum Ciceronis editioni præfixa: qua in hoc quidem genere nihil unquam prolatum est præstantius, quamque omnis adeo posteritas reverebitur tanquam artis ingenique documentum, in quo felicissime elaboraverit Ernestius, & quid præstare possit ostenderit.

Neque vero non movebantur homines illa disputatione, opportunissime & loco & tempore prolata, quod tum novus quidam vigor occupaverat hominum animos, vel e studio philosophiae Wolfianæ ortus vel ex patriæ linguae cultu. Tum igitur primum coepit pudori esse, hæc humanitatis studia contempnere, & humiliiter judicare de scriptoribus græcis & latinis, quos ille tam fidenter & præclare laudarit, ostenderitque esse omnis vera solidæque doctrinæ fontes & vera eloquentia magistros. Placuit deinde multis, qui duriores videbantur ad hæc studia, nec ipsi jam poterant ea gustare sensu suo, his igitur placuit, aut silentio transmittere hujusmodi laudes, aut honoris causa simulare aliquem elegantioris doctrinæ amorem. Interim e juvenibus academicis initio pauci, vix ultra sex septemvę, in schola Thomana audierant eum interpretantem Xenophontea quædam, & e poetis græcis nonnulla; plures tamen subinde, alii alia, donec medio jam hoc seculo disciplina Ernestiana ita celebraretur, ut pudori nunc effet iterum, illius ignarum haberi atque expertem. Et cum ea celeriter disseminaretur per omnes terrarum regiones a magno discipulorum numero, cum e coetu Thomanorum, tum e juvenibus academicis, qui jam bonas litteras docerent in scholis; Ernestius hoc tulit virtutis & doctrinæ præmium, ut haberetur vindœ & stator humaniorum litterarum, quas a contentu liberatas in pristinum honorem restituisset. Quæ meritorum laus ei tributa est consensu omnium, multo ante ejus ex illa schola discessum, quem demum fecit anno seculi undexagesimo, tertio post anno, quam ceperat summos in Theologia honores.

Sed hæc animorum conversio, et si passim in multis ora erat ex aliquo autoritatis judicio, confirmabatur tamen ipso sensu atque experientia eorum, qui Ernestianæ disciplinæ rationem penitus cognoverant. Atque hujus disciplinæ formam quodammodo nunc adumbrare conabimur. Primum de elementis linguarum tradendis, et si non fere soleret præcipere, tamen, si quando in sermone ad ea devenerat, idem fere sentiebat cum Gesnero, nisi quod paulo acris urgeret regulas vulgares & vocabulorum formas cognoscendas, ita tamen, ut lectioni tribueret plurimum, nec putaret aliter hanc notitiam cum fructu comparari posse & firmari: ut v. c. participiorum usus, discriben conjunctiōnum ut & quod, ratio accusativi cum infinitivo & alia hujuscemodi facililime perciperentur perpetuo lectionis observationisque usu. Exercitationes syntacticas non improbabat, quatenus ea pertineant ad disciplinam usus conjunctiōne que sint cum versionibus, quibus tribendum sit plurimum. Nam illam latine scribendi facultatem, quam antea dicebant stilum, putabat vel nondum esse hujus ætatis, vel, quæ diligenter & sedulo tractanda sit in scholis, eam non locum habere sine copia, quæ paranda sit lectione multa, beneque instituta & moderata, ad quam propterea formanda sint ingenia. Sed hæc jam nota sunt omnibus, nec tam disciplina Ernestianæ præcepta, quam ejus effecta ex institutis eorum, qui puerili in scholis ætati rectius consultum vellent, quam ipsis olim usu venisset. De lectione igitur veterum scriptorum eorumque interpretatione dicendum erit imprimis, cum in ea sit hujus disciplinæ summa.

Ad hanc autem dicebat formandos esse discipulos & quasi initiandos aliqua rerum ipsarum h. e. historiæ, antiquitatis, temporum locorumque descriptionis & mythologiæ notitia: quæ parari possit, vel his rebus proprie separatimque tradendis, vel adhibitis & substratis scriptoribus græcis & latinis iis, qui illarum brevem & succinctam enarrationem comprehendant, ad cuius tenorem a magistro reliqua vel illustrari vel suppleri possint. Quæ ratio primum habitura sit hoc commodi, ut servetur aliqua discendi legendique progressio, nec ea, ut antea fere fieri solebat, in scriptorum delectu vagetur inconstans atque incerta: deinde ut ipsa oratorum, poetarum & historicorum lectio celerius procedat, & si forte hæreat in aliquo loco aut re singulari, facili negotio & brevi illustratio ne possit expediti: nec opus sit omnibus locis, ubi vel verbo alluditur ad aliquem ritum aut fabulam, vel injicitur mentio hominum illustrium, digredi ad singula historiarum & antiquitatum capita, & tandem longis ambagibus inde reverti. Quo quidem res in scriptoribus explicandi labore & modo parum aut nihil proficitur. Nam quæ hujus generis sunt propædevmata, ea nunquam recte discuntur, nisi percipientur uno quasi tenore: & illa frustula antiquitatis & historiarum

riarum discepta p̄tne citius quam dixeris effluunt ex animis, adeoque semper & ubique repertuntur sine fructu & cum magna temporis jactura. Eam ob causam si forte Ciceronis Tusculanae aut alia ejus philosophica tractentur, prius cognoscenda erit historia philosophica, quatenus quidem ea pertinet ad Ciceronis libros interpretandos. Atque hanc rationem hodie sequuntur multi in scholis & libellis etiam solent juvare separatim ad id consilium editis, qualem nuper admodum dedit aliquis (\*) de hoc ipso argumento: & sane quicquid hodie existat boni & commode parati ad tradenda illa prop̄dēv̄mata, id omne profectum est ex disciplina Ernestii, effecitque, ut magistri & discipuli facile jam possint carere illis notis & scriptorum veterum illustrationibus historicis, antiquariis & mythologicis.


Interpretationem primo volebat esse grammaticam h. e. quæ traderet verum rectumque verborum sensum, non vulgari modo utcunque prolatum, verbum e verbo reddendo, sed accurate & pressè, habita ratione usus linguae, vulgaris etiam & tropici, quo neglecto de sensu nunquam recte possit constare. Quanquam in hac parte interpretationis non fere solet esse adeo magna difficultas, ut intelligas, quid sit dictum. Illa pars, quæ pertinet ad artem rhetoricae, ut intelligatur quomodo sit dictum, quam recte & bene, longe major est & utilissima. Hac interpretatione rhetorica una est, quæ possit efficere, ut vera utilitas e lectione veterum scriptorum percipiatur, h. e. ut discipuli cognoscant indolem veræ eloquentiae & ejus petendæ viam. Quam interpretationem qui negligunt, & in scriptoribus græcis latinisque uti solent illo vertendi exponendique opere vulgari & perfunctorio, ii nihil agunt, quod sit operæ pretium, quantumvis laudent scriptoris orationem, & subinde etiam exclamando affirmant, eam esse elegantissimam. Namque hæc ipsa elegantia, hoc scriptoris artificium aperiendum erat & demonstrandum. Cujus quidem rei quæ vis & ratio sit Ernestius docuit, cum in praeceptis rhetoricae, hoc ipso consilio editis & propterea ad veterum rationem, Ciceronis imprimis & Quintiliani, comparatis, tum alibi multis in locis, & vero etiam confirmavit ipso disciplinae usu & exemplo. Eam igitur hodie sequuntur in scholis magistri idonei & intelligentes in explicandis scriptoribus, ut discipulis ostendant primo inventionis artem & fontes, deinde exornationis ubertatem & copiam ad ipsa praecepta rhetorica referentes singula quaque. (\*\*) Hac una etiam ratione efficitur illud, ut disci-

(\*) Historia philosophica, Ciceronis verbis concinnata ad ejus scripta illustranda.

(\*\*) Totam hanc discipline rationem ex arte nuper ostendit & magnopere commendavit FRIDERICVS MAGNVS in sermone cum MERIANO & MEIEROTTO-  
NE humanior. litter. in Gymn. Berolin. Professore. Cujus sermonis extat rela-  
tio in P. A. Winkopp Bibliothek für Denker und Männer von Geschmack. I. Band  
II. St. p. 183. quem locum ibi legile neminem pœnitentebit.

76735 II QK X 2016852  
 puli non solum alliciantur ad legendum, sed ut ipsi etiam cum fructu legere possint & judicare, adeoque copiam rerum verborumque sibi comparare ad scribendum dicendumque utilissimam. Quae via comparandae copiae ubi negligitur, aut ea alio modo quaeritur, tum nihil unquam ad eloquentiam proficitur.

Tertium jam restat Ernestii meritorum genus in humanitatis studia & omnem disciplinam scholasticam, quod erat in praesidiorum doctrinae apparatus & exempli monumento, non huic solum etati utilissimo, sed omni etiam, que futura est, posteritati profuturo. Quo primum referenda sunt scripta ejus pleraque de bonarum litterarum studiis in universum & de singulis elegantioris doctrinae partibus & locis, in libellis scholasticis & academicis edita & postea in opusculorum collectionibus, philologica imprimis & oratoria, ab eo ipso hujus consilii causa servata. Alterum locum sibi vindicant peculiares libri scholis destinati: ex quo genere sunt, praeter Hederici Lexicon gr., illa solidioris doctrinae & rhetorices initia, archaeologia litteraria, &c, que primo loco ponenda erat, illa clavis Ciceronianas, que quantum proflit ad Ciceronis scripta intelligenda & ad omnem omnino interpretationem, sciunt omnes qui ea uruntur. Restat unum genus meritorum idque longe maximum & humanioribus litteris saluberrimum, quod est in optimorum scriptorum editionibus & in liberalioris utiliorisque artis criticæ exemplo. Quo etiam non dubitem referre Fabricianæ bibliotheca opus auctum atque emendatum. Sed in hoc studiorum genere est praecclare meritus sit de Homer, de Polybio, Callimacho, de Xenophonte etiam, & e latinis scriptoribus de Suetonio, de Tacito aliquique; imprimis tamen ejus opera & praestantissimi ingenii vis confitit atque enituit in Cicerone: In cuius scriptis ad ipsius Tullii mentem proprias & liberalissima crisi felicissime constituendis superavit omnia superiorum critorum merita. Atque eas operam Ciceroni praestare poterat Ernestius, ipsi Ciceroni simillimus in dicendo; cuius scripta, si quo casu periissent, ea, opinor, Ernestius facili negotio potuerit restituere.



Solennia Gehleriana crastino die, qui erit X. Dec. celebribuntur in Gymnasio hora IX. in auditorio primi ordinis orationibus habendis, cum a me ipso, tum a tribus adolescentulis chori Symphon. sodalibus, quorum nomina hic sunt posita:

GOTTLIEB POSSELT, Biesniz.

JO. GOTTLÖB SCHOENFELDER, Kemliz.


GODOFREDVS BERGER, Leopoldshayn.

Ad eas orationes audiendas ut SENATVS AMPLISS. CETERIQE REI SCHOLASTICAE FAVTORES frequentes velint convenire, omni, qua par est, observantia oro rogoque.

P. P. d. IX. Dec. 1783.



K018



AD  
I G E H L E R I  
MEMORIAM

DEG. MDCCCLXXXIII.

ASIO RECOLENDAM

INVITAT

DERICVS NEVMANNVS

GYMN. CONR.



alteram partem & postremam  
narrationis

isque meritis, cum in humanitatis litteras,  
cum in scholis disciplinam.

OFFICINA FICKELSCHERERIANA.

